



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermannii Conringii De Antiquitatibus Academicis
Dissertationes**

Conring, Hermann

Helmestadii, 1674

Svpplementvm XXXIX. Ad pag. LXXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

bus antiquis sedulitas abundè in quam multis aliis sese mihi probavit.

SUPPLEMENTVM XXXIX.

Ad pag. LXVII.

DE Alcuino heic unicum duntaxat nunc annotabimus illud, quod ipse et Carolus Magnus non dubitaverit cum universo Episcoporum Concilio Francofordiensi, quo nullum in Regno Francorum magis fuit plenarium, ut loquar more Ecclesiastico veteri, non dubitaverit laudare illum pariter & commendare. Ita enim sese habet Concilii illius Capitulum ultimum. Commonuit etiam Carolus Reg, ut Alcuinum ipsa sancta Synodus in suo consortio, sive in orationibus, recipere dignaretur, eo quod esset vir in Ecclesiasticis doctrinis eruditus. Omnis Synodus secundum admonitionem Domini Regis consensit: & eum in eorum consortio sive in orationibus receperunt.

SUPPLEMENTVM XXXIX.

Ad pag. LXXIV.

Eorum qui negant, jam tum Carolo Magno imperante Parisiensis Scholæ cæpisse exordium, sententiam haud parum fortè confirmant illa quæ habentur *capit. XII. libri 3. Parisiensis Concilii sexti*, quod celebratum est anno Christi octingentesimo vicesimo nono, jam tum imperante Caroli filio Ludovico Pio. Illud enim ita sese habet. *Similiter obnixe ac suppliciter vestra Cessitudini suggestimus, ut morem paternum sequentes, saltem in tribus congruentissimis Imperii vestri locis, schola publicæ ex vestra auctoritate fiant: ut labor Patrius vestri & vester, per incuriam, quod absit, labefactando non depereat. Quoniam ex hoc facto & magna utilitas, & honor sanctæ Dei Ecclesie, & vobis magnum mercedis emolumentum, & memoria sempiterna accrescat. Omnino enim hic sermo est de Scholis publicis qualem*

qualem traditur fuisse institutam Parisiis à Carolo Magno: & tamen non sit hoc loco ejus scholæ h̄ic mentio, et si Concilium in ipsa illa Parisiorum urbe fuerit habitum. Verūm enimvero, agnosco & ipse posse hinc colligi, scholam Parisiensem eā ētate non fuisse in magnō pretio, ut nec aliam aliquam publicam, atq; adeo hac de causa ab Episcopis arbitrio Regio esse relictum quæ loca Imperii Francici vellet Scholis publicis exornare. Ipsū tamen etiam illud Capitulum docet, à Carolo Magno Scholas publicas institutas esse: ac proinde non est, quod sequior aliqua suspicio ex hoc quidem Capitulo de origine Parisiensis scholæ nascatur. Quin imò veritati est simile, jam tum à Carolo Magno tres publicas scholas fuisse erectas. Quarum nempe prima fuerit Parisiensis, altera Ticinensis. Tertiam in Turonibus fuisse, fortassis indicant verba illa Alcuini in Epistola ad Carolum Magnum, quæ habetur l. i. cap. 9. Continuationis Historia Beda, & quidem ipsa illa quæ in Dissertatione adferuntur pag. 75: *Vñ non s̄it tantummodo in Eboraco horus conclusus, sed etiam in Turonico emissores Paradisi.* Sed huic conjecturæ sive credas sive non credas, parūm refert. Satis jam est moruisse, Capitulum illud Parisiensis Concilii vulgarem sententiam non convellere.

Magis me dubium reddit auctoritas Joannis Launoyi Parisiensis Theologi longe celeberrimi: qui in libello *de vera causa secessus Brunonis in eremum, sub finem capitinis primi ita scriptum reliquit.* *Ante Brunonis aetatem* (hic autem vixit seculo undecimo declinante) statum fuisse Parisis Theologia studium, atq; ibi magisterium in Theologia dari solitum, vix probaretur. Hic fabulas mirto, quas de quatuor Bœdo discipulis Alcuino Joanne Scoto Rabano & Claudio, Parisiensem Academiam instituentibus, obscuri homines summa rerum

Rr

ignora-

ignoratione invexerunt. Quia de re eruditè scribit Stephanus Paschasius l.3. Disquisitionum Francicarum cap.3. Non est mihi nunc ad manum Paschasi ille labor: ideoque quid ille assenserit vel negaverit equidem nescio. Fortassis autem nec Launoyus aliud improbat, quam quod fertur de qua- tuor Bedæ discipulis. Et verò nullus eorum quatuor Bedæ fuit magistro usus. Et si Rabanus & Joannes Scotus illi, quorum hodieque celebris est memoria, credantur Pa- riensem Scholam auspiciis Caroli Magni instituisse, et iam hoc utique fabulosum fuerit: uterque enim floruit demum filiis Ludovici Pii Imperatoris rerum potentibus. Hactenus igitur etiam me ad stipulatorem habeat Lau- noyus. Multum ceteroquin tribuo viri judicio: utpote quod abunde ille mihi probavit eximiis aliquot libellis, quibus fabulas nonnullas Ecclesiasticas, in vulgus receptas, male expedit.

SUPPLEMENTVM XXXIX.

Ad pag. LXXIX.

Ioannem Erigenam fuisse gente Hibernum, adeoque ex vetere non autem Britannica Scotia oriundum, jam tum docuimus Supplemento xxxi pag. 281. Eundem vixisse aliquamdiu in Gallia, Carolo Calvo Rege, præter Sigeber- tum Gemblacensem in Catalogo cap. 95, narrant etiam Mat- thæus Westmonasteriensis in Floribus Historiarum quos vo- cat, ad annum DCCC LXXX, & Guilielmus Malmesburien- sis l.2. de gestis Regum Anglorum cap. IV aliique. Adducam verbaquædam solius Matthæi. Eodem anno venit in Angliam Magister Joannes, natione Scotus, Vir perspicacis ingenii & facun- die singularis. Hic dudum relicta patria ad partes Gallicanas transiens, Carolumq[ue] Calvum adiens, arg. in magna ab eo digna- zione suscepimus, individuus comes ei fuerat & mensa & cubiculi.

Versos

Alia quæ adduntur prætereo.